

Sophronius of Jerusalem

Christmas Sermon

In Christi Servatoris Natalitia (Εἰς τὰ Θεῖα τοῦ Σωτηροῦ Γενεθλια)

J. Migne: *Patrologiæ cursus completus: seu, Bibliotheca universalis, Patrologia Græca*, Vol. 87.
pp.3201-3212.

3201

ORATIO I. — IN CHRISTI NATALITIA.

3202

SANCTI SOPHRONII HIEROSOLYMITANI ORATIONES.

S. Sophronii (1) archiepiscopi Hierosolymitani in Christi Servatoris natalitia, quæ tum in Dominicum diem inciderant, Oratio (2).

Lætam illustremque præsentem diem cerno ut pote gemino nos splendore et luce perfundentem, geminaque lætitia et jucunditate genus nostrum cumulantem. Non quod dúplicem nobis solem ostendat, eaque ratione duplici nos gratia irradiet, sed quod unus idemque justitiæ Sol, quem offert, dupliciter quodammodo nobis, qui in terris ætatem degimus, exoritur, duplicemque splendorem et gloriam mortalium generi subministret; et duplex tandem spiritale gaudium eidem afferat. Hinc quidem ex utero virgineo exortus, inde vero ex aditis inferorum antris excitatus. Ut exortus immensa mortalium animos lætitia delibutos reddidit: ut vero excitatus, tristem mortem peremit, omnesque, quos detinebat mortuos, illi ademit: et nobis qui in terrestri hæc regione versamur, ad incorruptam immortalæque vitam iter aperuit. In unum namque utraque coierunt, juxta illud, quod in Psalmis fertur: « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculate sunt. Veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit. Etenim Dominus Noster Jesus Christus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. » Christi namque exortus, ejusdemque ex mortuis resurrectio in unum diem inciderunt. Jure proinde meritoque lucem hæc dierum Dominam appellaveris, ut quæ communem omnium Dominum nobis ex mortuis exhibebat redivivum, natalitiæque ob illius ex Virgine orium, solemnitate aucta et cumulata sit. Nihil videri his potest splendidius, nihil mentis oculis observari jucundius. Equid enim divinissimo Dei Optimi Maximi exortu animo pertractari

potest illustrius? Quid celebratione dignius? Quid rursus eidem Dei ex mortuis resurrectione cogitari potest lætius? Quid obiri festivius? Et enim ille vera lux, quæ ex vera luce æterne indivulseeque nascitur: quæque nobis hodie bifariam oritur, per nativitatem nimirum, et resurrectionem, duplicesque salutare radios impertitur: utraque enim salutari gaudio referta est. Quamobrem lætæ quoque festivæque voces præsentem hanc solemnitatem illustrent fidelesque duplici nomine ad festum hunc diem celebrandum invitant. Hic virgo, quæ cum in lucem edidit, angelum non absque justissima causa, ejusmodi oratione se compellantem accepit: « Ave, gratia plena, Dominus tecum »; quasi dicat maledictio quæ Evæ jam olim irrogata fuerat, jam tandem per te finem facit. Hic rursus pastores vigilantes, nocturnasque custodias observantes, angelum ejusmodi nuntium ad se deferentem audiunt: « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. » Per quem et servamur, et excusso servituti jugo, in Dei filios gratis cooptamur. Illic vero illustres femine Christi redemptionis discipulæ, ipsummet Dominum *Arete*, clamantem exaudiunt. Qui sane Christus omnibus tantæ hujus lætitiæ auctor existit. Nam et per ipsum mors mortua est, et terribile illud condemnationis nostræ iudicium quasi exterritum, abolitum est, et legale maledictum dissolutum est et Evæ pœna restincta est, et mortis imperium eversum est, et mortuorum resurrectio, mortem in seipsam sævire amplius non sinens, inculenter inchoata est. Ibi, propter admissam in paradiso prævaricationem, maledictio illa: « In dolore paries filios », omnino procri-

¹ Psal. LXXXIV, 11-13. ² Luc. I, 28. ³ Luc. II, 10, 11. ⁴ Matth. XXVIII, 9. ⁵ Gen. III, 16.

NOTÆ.

(1) Sophronium hunc posteriorem esse priore illo altero cujus ut presbyteri meminit, descripsit vitam sanctus Hieronymus in *Scriptorum ecclesiasticorum catalogo*: cum ille sancto Hieronymo *εὐχριστός* ad tempora Joannis 44 Hierosolymitani pontificis vixerit. Hic vero cum in sua de Christi natalitiis oratione multis agat de inmani sævæque tyrannide Saracenorum qui per id tempus oppidum Bethleem occupabant, satis indicat se illum esse Sophronium 62, ac postremum Pontificem Hierosolymitanum, cujus meminit Nicéphori Constantinopolitani Chronologus.

Pleniora de S. Sophronio Hierosolymitano episcopo suppeditabit tomo VIII *Annalium ecclesiasti-*

carum exact. 13. sextæ synodi ex concilio Romano sub S. Martino Papa, secretario 2, tomo III. Ex Theophane in *Miscella* et aliis, Consule quoque notas ad *Romanum Martyrologium* II Martii. Consignatur obitus sancti Sophronii sub Heracleo imperatore, anno salutis 636. 11 Martii, quo die ejus natalis inter sanctos inscriptus habetur publicis Latine et Græcæ Ecclesiæ tabulis. *Biblioth. Patrum*, t. III, 206.

(2) Attestantur huic quædam etiam de inmani sævæque Saracenorum tyrannide, qui per id tempus oppidum Bethleem, vel occuparant, vel certe obsessum tenebant.

pta est; quippe cum lætitia et gaudium Christi natalitia exceperint: hic vero alterum illud maledictum, nempe: « Terra es, et in terram revertaris », penitus evacuatum est, eo quod vita resurrectionem ex mortuis propalam ostenderit; siquidem maledictio et pœna erat illud: « In dolore paries filios; » Adami vero alterum illud: « Terra es, et in terram redibis; » utriusque autem parcam et miseram vitam perpetuo ducere. Verum enimvero potentissimus horum Liberatores et Redemptores per suam nativitatem et resurrectionem in medium se tulit, verumque Redemptorem et Liberatorem sese declaravit. Nihil enim exstat, quod Dei potentiam vincat. « Dominus namque mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, » ut scriptum est⁷. Sed neque quidquam comperiri quoque potest, quod omnipotenti illius nutui obistere valeat. Manus ejus propter peccata hominem verberant; eadem rursus propter ingentem ejusdem benignitatem, percussum sanant. Ast quis sum ego, qui quæ videmus, et audimus, pro dignitate exponam? Destitutor enim oratione, et lingua, et ore, quibus divinatorum illorum festorum miracula pro merito edisseram. Ea propter maxime perplexus, summaque in rerum difficultate constitutus, angelorum hymnum mutuo accipiam, illumque Deo humanam naturam sortito, necnon e sepulcro et mortuis hodierna luce exsuscitato, ingenti voce decantabo, clareque et perspicue personabo: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis⁸. » Nam quo nos sublimes efficeret, magisque cœlestes, quam terrenos esse ostenderet e sublimi ad nos viles abjectosque descendit. Bello rursus, quod sub aspectum non cadit, impetitos, securitate et pœce donavit, suoque Patri reconciliavit, et nostram cum Deo Patre pacificationem in seipso faciens, se pacem nostram esse demonstravit. Et nos æque, qui longissime a divino aspectu rejecti proscripiti eramus, ita suis virtutibus exornavit et instauravit, ut et Deo probaremur, et clementi oculo ab eodem aspiceremur. Et sepius maceria e medio sublata, illud quoque præter cætera nobis impertitus est, ut Dei claritatem revelata facie contemplari queamus⁹. Denique nos, qui pridem ob delicta nostra in mortem incurreramus, eademque ultro et quasi data opera nobis absciveramus: « Deus enim mortem non fecit, neque, (cum sit optimus) in vivorum perditione lætatur¹⁰, » denuo in vitam asseruit, et e sepulcro et interitu exsuscitavit, dicereque nos jussit: « Ubi est, mors, victoria tua? ubi est stimulus tuus, inferne¹¹? » Christus enim ad nos humiles sese demittens, nostrumque ortum sponte subiens, et ut verus homo mortem oppetens, utraque defregit et obscuravit.

« O albitudo divitiarum sapientiæ et potentie divinitatis¹²! O benignitatem vere immensam! Etenim cum

⁷ Gen. III, 49. ⁸ I Reg. II, 6. ⁹ Luc. I, 44. ¹⁰ Ephes. II, 14, 15. ¹¹ Sap. I, 13. ¹² Osee XII, 14; I Cor. XV, 55. ¹³ Rom. XI, 55. ¹⁴ Luc. II, 14. ¹⁵ Ps. I, LXXXI, 6.

antea non essemus, ex nihilo nos produxit. Iusano rursus temerarioque consilio, in interitum prolapsos, necnon in mortis barathrum præcipites actos, extumulo denuo exsuscitavit; morteque, qua valde tenebamur, debellata, ipsam vivendi naturam iterum nobis restituit, atque adeo ipsam spiritalem vim, æque ut ante, infundere nunquam desiit. Cum enim Deus sit, iis, qui ope illius indigent, dona et beneficia vere divina et magna jugiter impertit. Ea propter rursus clamo, semperque cum cœlestibus illis exercitibus clamabo: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis¹³. » Ecquid enim convenientius vereque decentius, et reipsa quoque illustrius dicere possunt, qui natum Deum celebrare, laudibusque evehere cupiunt, quam: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis? » Deus in terra agit; et quis in cœlum non evadat? Deus e Virgine natus in medium prodit: et quis hodie divinus non efficiatur? Quis, quo propius ad eum accedere queat, ad virginitatis sanctitatem non anhelet, continentiamque alacri animo non complectatur? Deus vilibus abjectisque panniculis involvitur: et quis est, qui, si quid forte vile abjectumque quandoque occurrat, quo divinitatis particeps fiat, obvisis ulnis illud non excipiat? Nec enim alia de causa humana paupertate sese convestivit Deus, quam ut sua nos gratia Deos efficeret. Atque hoc Psalmista David, idemque Christi parens, prophetiæ dono illustratus, Christique ex se nascituri beneficia edoctus, ac præclara divinaque ejusdem facta liquido per spiritum conspiciat, disertis jam olim verbis exposuit: « Ego, ait, dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes¹⁴. » Deus inter nos est, veterem hominem exuti, ipsumque, quoad ejus fieri potest, æmulati, divini efficiamur. Celsissimus factus est terrenus; et nos nostræ quoque mentis proposita, animique desideria sursum subrigamus, divinatorumque munerum capaces nos reddere studeamus.

Deus in præsepio palam proponitur, nobisque, qui et fame tabescimus, ei jumentorum more nulla pene ratione ducimur, seipsum ultro in cibum exhibet. Ecquis euchobroto illo alimento tanquam divinis dapibus, divinaque charitate prorsus indigno abjecto, in illius divinitate se non oblectet? Vere dixerim: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Tripudio, pastorumque more exulto, dum voces ejusmodi plane divinas audio; et ad præsepe, quod Deum exceperit, statim convolare gestio, necnon ad cœleste illud specus toto animi impetu raptus, mysterium, quod in ipso latet, coram conspiciari, atque hymnum illum: *Gloria in excelsis Deo, ei in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, in recens nati gloriam et honorem depromere ardentem desidero.

Quin divinos quoque Magos veneror, magnique

facio : et cursum, quo Deo addicti, divinaque edo-
 cti viri illi usi, ad cœlestem Bethleem devenerunt,
 majorem in modum admiror. Accesserunt huc
 autem, Herodis quidem furorem, infantumque
 trucidatorem gladium, nihil quidquam veriti :
 stellam vero luce sua viam præmonstrantem, du-
 cem utique sublimem, planeque cœlestem, ad su-
 blime illud cœlestique iter commode conficiendum,
 peropportune nacti. Horum ego comes esse per-
 cipio ; natoque Deo munera quædam offerre percipio ;
 etsi ille hoc tempore ab amicis non exigat
 aurum, aut myrrham, aut thus (hæc enim aliaque
 ad vitæ usum necessaria, tanquam universorum
 conditor et Dominus, egentibus familiariter ipse
 donare solet, quam ab ullis omnino postulare).
 Auri autem loco fidei sinceritatem exigit. Pro myr-
 rha autem incorruptam animæ corporisque inte-
 gritatem deposcit : tum doctrinæ rursus prædi-
 cationis puritatem ; tum orthodoxum tandem circa
 fidem sensum et intellectum. Thuris autem vice
 bonorum operum suaveolentiam a nobis efflagitat :
 non quo horum acceptione dives evadat : verum
 quo nos per ea opulentiores reddat. Equid enim
 exstat usque sublinium cœlestiumve rerum, aut
 illustrium beneficiorum, quorum thesaurus et fons
 immensumque pelagus non est Deus ? Neque ho-
 rum solum origo et causa est, sed magnificus quo-
 que liberalisque, si egentes adsunt, eorumdem
 dator.

Verum Magi divinique pastores ad Bethleem, C
 quæ Deum excepit, proficiscantur, stellamque comi-
 tem et itineris ducem habeant, et miraculum
 illud plane stupendum coram contemplantur, con-
 templantisque obstupescant, et dona Magis digna
 hilariter offerant, et angelorum doxologiam inge-
 minent : *Gloria in excelsis Deo*, recinentes, et in
 terra *pax hominibus bonæ voluntatis*. Nihil illi for-
 mident, nihil extimescant ; non insani Herodis
 furias, non aliud ullum metum incutere solitum
 animo pertractent ; sed divinis tantum meditatio-
 nibus se occupent, infantemque pannis involutum,
 et in divino præsepio positum, defixa oculorum
 acie spectent, qui infans universorum est servator,
 Deusque et Dominus vere inexplicabilis ; etsi no-
 stri causa, qui carnales sumus, adeoque puram D
 audamque illius divinitatem intueri nequibamus,
 humanæ carnis corporisque velamine sit obiectus.
 Nos autem propter innumera peccata nostra,
 gravissimaque errata, earum rerum contemplatione
 indigni effecti, cursu illuc contendere, præstoque
 adesse prohibemur, sed vel inviti et nocentes domi
 manere cogimur ; nullis sane corporis vinculis
 astricti, verum Saraceno metu absterriti et com-
 pediti ; tristitiaque, nostra quidem infelicitate dig-
 na, indigna autem bonis, que nobis alioqui
 debebantur, veluti tempestate quadam jactati.
 Quandoquidem, si miseria nostra bonis illis digna
 fuisset, omnino nos quoque prope loca illa positi
 (i cœ enim a longinquo illa aspiciamus) cum pasto-

ribus choros duceremus, et cum Magis Deo dona
 afferremus, et cum angelis olam illam : *Gloria in
 excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ vo-
 luntatis*, decantaremus.

Verum enimvero ejusmodi voces vel hoc loco
 deponere ineffense sinimur ; at ipsum vero præ-
 sepe, et specum illam vere sublimem cœlestemque
 contueri, tanquam spectaculo ejusmodi indigni,
 omnino velamur. Vere generis nostri principem,
 primumque parentem Adamum a paradisi habita-
 tione miserabiliter proscriptum, hic imitamur.
 Etenim ob nefaria peccata lapsusque, quæ prava
 præposteraque mente subinde designamus, tam
 gravia, vel multo quoque graviora tristioraque
 patimur, quam ille. Nam ut ille a paradisi deliciis
 proscriptus, exsulque factus, et gravissima irrevoc-
 abilique Dei sententia inde ejectus, oculis quidem
 paradisi hortum usurpabat (e regione enim illius
 habitabat) ad ipsum autem denuo regredi non va-
 lebat ; ut qui flammeam illam versatilemque rom-
 phæam, quæ aditum ad ejusmodi locum præclu-
 debat, ipsamque ob designatum prævaricationis
 peccatum bono illo ardentem cupito orbat, ob
 oculos versari cerneret ; ita nos quoque hodierna
 die multamur : quandoquidem civitatem Bethleem,
 quæ Deum excepit vicinam habemus, neque in
 ipsam tamen ingredi permittimur, non quidem
 ardentem illam, versatilemque paradisi rom-
 phæam, conspicantes, sed efferatam, planeque
 barbaram, atque omni revera crudelitate plenum
 Saracenorum gladium extimescentes. Hic enim
 gladius horrendum fulminans, cædemque spirans
 et intentans, beate illius visionis exsortes nos
 reddit, domique citra ulteriorem progressionem
 manere compellit. At vero licet Agarenorum sica
 æque nunc fulminet, ac romphica illa quæ paradisi
 ostium quondam asservabat ; attamen si nos vo-
 luerimus, hoc est, si conversi Deum nostri causa
 natum per studiosa opera ex animo quaesiverimus,
 ut antea fuerat, sedata mox et mitis evadet. Si,
 inquam, nos peccatorum flammam per penitentiam
 restinxerimus, et Deum Optimum Maximum pro-
 pter nos et secundum nos natum religiose colueri-
 mus, operumque, quæ ille execrari solet, studium
 intermiserimus, ardoris sui sensum facile deponet.
 Qua, quæso, fronte ad Deum accedere audeamus,
 qui nullam, neque animi fecunditatem, neque
 corporis castimoniam muneris loco deferimus ?
 Quomodo ipsi appropinquare non veremur, qui
 operum, quæ illi lætitiæ et voluptatem parere
 dignoscuntur, suaveolentiam nullam obtinemus ?
 Præsertim cum flagitiosorum operum graveolen-
 tiam infestissime odisse non ignoremus ? Metuo
 autem magnoque tremore constringor, ne qui or-
 thodoxam fidem habere videmur, secundum illam
 quoque laborare deprehendamus : ut qui eam so-
 lam, hoc est ab honestarum actionum conjugio
 sejunctam, bonorumque operum comitatu destitu-
 tam, obtrare permiserimus. Si enim fides stu-

diosa fragrantium operum actione orbata, secundum Jacobum fratrem Domini ¹⁶, qui hujus quoque gregis pastor aliquando existit, est mortua, quomodo nos rectum cursum tenebimus, qui fidem operibus, quasi aliis quibusdam exornare non curamus? neque animos nostros pernicibus operum misericordiae pennis obarmamus? Quamobrem, fratres animo meo exoptatissimi, opera, quaeso, cum fide consociemus, neque ob operum, quae adesce oportebat, absentiam, eam infirmemus: ita enim fiet, ut quemadmodum fide fortes validique consistimus (neque enim Christi gratia defensi conservatique, ulla illam ex parte labefactavimus), sic bonis quoque operibus firmemur: et Christum ipsum qui honestis actionibus impense delectatur, fide simul et operibus non parum recreemus, elementissimamque ejusdem celsitudinem nobis promereamur. Ipse enim est, qui tanquam legislator, haec decreta diserte pronuntiat: « Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum colorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in caelo ¹⁷. » Rursum: « Si diligitis me, mandata mea servate ¹⁸. » Item, « Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis ¹⁹. » Si itaque paternam illius voluntatem fecerimus, veramque et orthodoxam fidem constanter retinuerimus, Ismaelitarum romphaeam facili negotio amolierimur; Saracenicamque sicam a nobis avertemus; et Agarenorum arcem confringemus; et divinam Bethleem non longo post tempore contemplantur; et quae in illa sunt admirabilia contuebitur, et admirandorum operum opificem Christum conspicabimur: et una cum angelis doxologiam illam: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis, » magna sonoraque voce decantabimus, operamque ea re Christo cum primis gratam navabimus. Est enim ille iis rebus, quae salutem nostram promovere et procurare natae sunt, addictissimus.

Annon cum Dei Verbum esset, aeternumque ex aeterno Patre ortum haberet, impollutum matris Virginis uterum propter nos inhabitavit? veramque in illa, et ex illa carnem suscepit? Suscepit autem ex ea carnem non prius quidem formatam et existentem, quam indissolubili vinculo illi conjungeretur: sed una cum ipso, et in ipso Verbi complexu, existentiam sortitam. Ipsius namque constitutio et ratio cum ipsa compositione ad punctum coibat, ipsique coeva erat. Quam etiam carnem rationalis vitae spiritu animatam sibi secundum hypostasin adjunxit, ut illustre illud fidei lumen Leo docet, et sapientissimus Cyrillus magnus ille caelestis doctrinae praeco, praeclare veraeque pietati et religioni admodum consentaneae, confirmat. Christus namque salutis nostrae causa nobis per omnia assimilatus, et similis expertem conceptionem habuit (viri enim, ut nasceretur,

A synergia nulla egebat), et Virginis utero se circumscribi sustinuit, et hominum more pro sua clementia in lucem edi voluit, et in manifestissimum omnipotentis divinitatis suae iudicium et argumentum, Virginem, ex qua prodiit, integram incorruptamque conservavit, ipsamque nihilominus Deiparam esse palam ostendit. Quam et ipsa vicissim virgo luculentum ineffabili illius divinitati testimonium perhibuit: testatum, inquam, orti fecit, ipsum esse verum Deum, verumque Dei Filium, ejusdem cum Patre naturae et substantiae: etsi ab illis, in quorum oculos incurrebat, homo tantum nostri similis fuerit habitus. Conuseat autem et licet hic Filius duabus naturis divina una, humana altera, interim nulla ex parte est divisus; manet enim unus Christus, et unus Filius, omnis expertus mutationis, confusionis, sectionis, et divisionis. Annon idem ille, cum dives esset, unaque cum regno imperium in omnes obtineret, quo nos, qui pauperrimi eramus, immortales illius opes consequeremur, in nostram mendicitatem ultro sese dimisit? Nonne, cum increatus, imo vero creator, universaeque creaturae conditor esset, quo nos in increatae naturae suae consortium eveheret, inter creaturas censi voluit? Nonne cum omnis materiae, corporeaeque concretionis exors degeret, quo nos caducis istis fluxisque corporibus et carnibus superiores efficeret, nostraque corpora incorruptione vestiret: et carnem nostram immortalitate donaret, caro et corpus fieri in animum induxit? Annon, cum secundum divinitatem nullis limitibus circumsciberetur, quoad immensum regnum suum aditum nobis patefaceret, carnem mole definitam sibi ascivit? Annon cum ab omni peccato vacuus, sanctusque et per omnia impollutus esset? « Peccatum enim non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus ²⁰. » Nostri causa peccatoribus annumeratus est? et in peccatricis carnis similitudinem, in lucem fusus est? Qui enim peccatum ignorabat, eum Pater, in quem nullum peccatum cadit, propter nos peccatum fecit ²¹: ut carne ab omni peccato immuni, peccati condemnationem evacuet, nosque peccatores a contractis peccatorum sordibus expiaret. Nonne cum Filius et liber foret, naturalisque Domini polleret, quo nos libertatis dono ornatos, Deo Patri quasi filios offerret, inter servos censi sustinuit? Per ipsum enim id assecuti sumus, ut Altissimi filii nominemur et simus. Interim illud adoptionis donum non natura, sed gratia nacti sumus. Annon, cum aeternus et impatibilis, et immortalis esset, quo nos ab interitu omnique patiendi necessitate liberaret, et a mortis vinculis multiplicibusque catenis quibus irretiti tenebamur, expediret et vindicaret, carnem nostram patibilem mortalemque induit? Annon haec omnia praestitit, modoque divinissimo implevit, et con-

¹⁶ Jac. ii, 17. ¹⁷ Matth. vii, 51. ¹⁸ Joan. xiv, 12. ¹⁹ Joan. xv, 14. ²⁰ Isa. liii, 9; I Petr. ii, 22. ²¹ II Cor. v, 21.

summavit? Utique; nec enim contingit Deum proposito suo frustrari. Nam quid animo concipi potest, quod Deus, si velit, non efficiat? Aut quis est, qui omnipotenti efficacissimæque ejusdem voluntati sua voluntate, ut maxime id contendat, obsistere valeat? Hujus tanti numinis, fratres, festum diem nos hodie obimus, etiamsi magna cum tristitia illud faciamus: ut qui locum, in quo Deus Verbum, et Dominus per exortum, qui verbis explicari nequit, apparuit, propinquum habeamus, neque ad illum tamen accurrere valeamus. Sane idem fere hic nobis usu venit, quod divinissimo Moyse. Ille enim in montem præcelsum subvectus, promissionis terram oculis quidem usurpabat avidissimeque in illam ingredi cupiebat; verum quod virgæ suæ verberare aquarum fluentia et rivos e petra educturus, Deum non benedixit, nequaquam huc ingredi permissus est¹¹. Et ille quidem ad eum modum terra multum desiderata orbatus, mœroreque exhaustus, hinc ad Deum emigravit. Nos autem, qui his non dissimilia patimur, quid faciemus? Nam etsi de cœlestibus donis animo voluptatem capimus, et letamur, et religiose nos oblectamus, et quasi continuum gaudium haurimus; contristamur tamen, turbamur non parum, quod locum cominus aspiciere non licet, ibique festivum conventum agitare, ubi vera lux exorta est, ubi æterna vita floruit, ubi tandem donorum et gratiarum omnium thesaurus aspectabili forma apparens, omnes, qui cum fide et pietate intuentur, illustrat et recreat, cœlestique gaudio uberrime exsatiat; ac tales illis opes impertitur, qui neque defluunt, neque deficiunt; efficitque ut non absque gaudio et oblectatione, cum angelis, pastoribus et Magis: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, concinant. Adamo tantum primo generis nostri parenti, divinoque Moyse misere admodum hodierna luce assimilamur: verum Davidis quoque parentis sortem cum primis exacte exprimimus: ut qui iisdem pene difficultatibus hoc tempore involvamur, obstaculisque præpediamur, quibus olim ille. Etenim David in regem a Deo assumptus, cum Philistæorum acie undique circumjecta aliquando coerceretur spiritali siti, quali forsitan nos modo, arens ardensque salutarem aquam ex cisterna, quæ erat in Bethleem, bibere desiderabat? Aqua autem quam mystice ille expectabat, et viva erat, et omnes qui ex ea libebant, divina virtute vivos efficiebat: « Si scires donum Dei, » aiebat Christus, fons ille vitæ nunquam deficiens ad Samaritanam; « et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petivisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ

salientis in vitam æternam¹². » Cisterna hæc sacra sanctissimam Virginem designabat, quæ et uterum gestura, et Deum paritura erat. Quod enim hic transigebatur, prophetia et figura erat de Christo, qui est aqua viva omnibus vitam infundens, deque mystica et spiritali cisterna, quæ aquam illam, quæ nunquam deficit, utero comprehensam, in lucem dedit, hoc est de impolluta Virgine.

Hanc autem cisternam et aquam bifariam rex David videre desiderabat, intenseque gestiebat, spiritalibus nimirum et corporeis oculis: illis quidem, ut illustrissimus propheta; his vero, ut consummatissimus justus: Hoc ergo desiderio iustus ardens aiebat: « O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem juxta portam¹³. » Cognoscere hinc licet, quam apte nos hoc tempore iis assimilamur, qui Christum quondam, cum spiritalibus, tum corporeis quoque oculis contueri exoptabant. Ad quod veterum desiderium Christus Dominus aqua illa viva alludens, alicubi ita concionatur: « Multi prophætæ et justi cupierunt videre, quæ videtis, et non viderunt, et audire, quæ vos auditis, et non audierunt¹⁴. » Huc etiam spectant, quæ apostolus Petrus ad eos, qui in Christum Servatorem crediderant, ea de re scribit: « Quem, ait, cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis. Credentes autem exsultatis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum: de qua salute exquisiverunt atque scrutati sunt prophætæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians ea quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias. Quibus revelatum est, quod non sibi met ipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc annuntiata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quæ desiderant angeli prospicere¹⁵. » Si ergo justî, et prophætæ, et angeli, Christi nativitatem et locum in quo exoptatissimus ejusdem ortus contigit, contueri desiderabant, et desiderant; quid mirum est, si nos abjecti minimique, qui ejusdem religionis et pietatis participes, orthodoxæque fidei, coheredes effecti sumus, ardentè istud desideremus. Et quænam causa, quæso, divinum Davidem, cum et germanus Bethleemita esset, ortumque e deifera Bethleem duceret impediabat, quo minus Bethleemiticæ cisternæ aquam, quam tantopere expetebat, tantaque aviditate sitiebat biberet? Eadem prorsus, quæ nos hoc tempore; nam et ipse quoque æque ac nos modo, ob hostilem metum, ad sacram Bethleem cursu contendere, aquamque concupitam haurire prohibebatur. Quid autem homini contingere potest miserabilius, quam bonum desideratum ob oculos positum habere, neque desiderato tamen frui posse: quandoquidem tum

¹¹ Num. xx, 12. ¹² Joan. iv, 10 seqq. ¹³ Il Reg. xxiii, 15. ¹⁴ Matth. xiii, 17. ¹⁵ I Petr. i, 8-12.

temporis quoque, proinde, ac nunc, Philistæorum A statio Bethleem obsidebat : eaque res illum, quem-
admodum nos quoque hac tempestate, quo minus
bonum illud usque adeo beatam et desideratum
(quippe quo nihil nobis obtingere potuisset felici-
cius, aut honoratius, aut oblectabilius) consequamur,
impedit, et absterret, ne ad divinam Beth-
leem accederet, absterrebat et impediabat.

Verum licet ille e Bethleemica cisterna aquam
bibere desiderans, propter infestam Philistæorum
aciem, quæ Bethleem summis semper laudibus
prædicandam, tunc obsessam tenebat, ad deiferam
illam civitatem, per id tempus pervenire non pos-
set; nihilominus expetitam aquam, siquidem sen-
silem aquam bibere placuisset, obtinuit. Etenim
tres fortissimi satellites, validissimique propugna-
tores, regis desiderio comperto, ipsumque non
sine æquissima causa dicere audientes : « O si quis
mibi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in
Bethleem juxta portam : » rati aquæ quæ sensu
percipitur desiderio illum teneri, cum essent, ut
conjicere et dicere licet, ad mortem illius causa
subeundam promptissimi, in manifestum vitæ
discrimen proruerunt : regi per hoc animi sui
robur, infractamque audaciam probare volentes,
vel certe eximiam et admiratione dignam in prin-
cipem suum benevolentiam, invictamque erga sa-
lutarem ejusdem sermonem, studium et ardorem
demonstrare instituentes. Siquidem : « Majorem
hac dilectionem nemo habet, ait Salvator, quam
ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » —
« Irruperunt ergo tres fortes, ait Scriptura, in
castra Philistinorum, et hauserunt aquam de ci-
sterna Bethleem, quæ erat juxta portam, et attu-
lerunt ad David. » Ille tu jam Davidis pietatem,
virtutumque omnium reginam discretionem con-
sidera. Nam ut regnorum habet historia, noluit
aquam illam bibere, verum libavit eam Domino,
dicens : « Propitius sit mihi Dominus, ne faciam
hoc : num sanguinem hominum istorum qui pro-
fecti sunt, et animarum periculum bibam ? »

Noluit ergo vir ille plane divinus aquam hanc
bibere. At cur noluit? quia prophetiæ lumine il-
lustratus, fore prævidebat, ut Judæi aquæ illi vi-

²⁶ Joan. xv, 13. ²⁷ II Reg. xxiii, 15. ²⁸ ibid. 17.

venti, omniaque vivificanti secundum carnem e
Bethleem exorturæ, et e lacu virgineo nascituræ,
et in lucem prodituræ, hoc est, Christo fidem de-
negoturi essent. Ut vates ergo sanctissimus Judæo-
rum in Christum perfidiam facto adumbrabat. Ob
id, inquam, divinus ille vir aquam ad se delatam
haurire noluit, quia insanos sceleratosque Judæos
Christi prædicationi in suum ipsorum interitum
et perditionem, nequaquam credituros præsagie-
bat, certoque prævidebat. At nos vero, qui Chri-
stum Servatorem gratanter suscipimus, et ortho-
doxa fide ornati sumus, et execrandam Judæo-
rum incredulitatem aversamur, et spuriam fœdam-
que eorumdem amentiam modis omnibus detesta-
mur, sacram Bethleem adire enixe avemus, divi-
namque cisternam, quæ juxta portam exstat, Dei-
paramque Virginem mystice designat (hæc namque
aquam vivam quæ vitam dat mundo effudit), men-
tis oculis contemplari, et salutem, quæ in ipsa
apparuit, hoc est Christum, qui humanum ortum
hac luce in ea subiit (hic enim nostra est salus,
et vita, et redemptio) accurate contueri, adire ne-
quaquam possumus. Tenemur profecto desiderio,
et siti æque nos torrente, atque altera illa torre-
bat regem; videre autem aquam, ut decantatus
ille David, et vel solo aspectu animam visumque
inde pascere propter Saracenorum metum omnino
non valemus. Etenim impiorum Agarenorum statio
æque nunc, ut dictum est, illustrem Bethleem oc-
cupat et obsidet, ut quondam Philistæorum; nec
ullum prorsus transitum ad illam indulget. Inter-
minatur enim eadem et interitum, si quis ad san-
ctam illam civitatem egredi, divinissimæque ac
nobis optatissimæ Bethleem appropinquare ausus
fuerit. Quare intra civitatis hujus portas conclusi,
necnon in divino hoc Dei Genitricis templo consti-
tuti, festum hunc diem anniversariamque so-
lemnitatem, non citra tristitiam obimus publice-
que celebramus : Vestram proinde in Christo Deo
nostro dilectionem hortor, rogoque et obsecro, etc.

*In codice Græco, quo usus sum, deest orationis
epilogus, quem ex chartæ spatio quod reliquum erat,
tres aut quatuor periodos excessisse non puto.*